

XII. Cum Apologia A. C. tria Sacramenta propriè dicta numerat, sole clarius est, sub conditione hoc asserere, si Sacramenta dicantur ritus, habentes mandatum & promissionem. Palam etiam est, terminos analogos de proprietate vel magis participare vel minus.

Disp. XXXIV.

De

Lege DEI.

I.

L Ex naturæ in statu integritatis, ubi omnium facultatum rectitudinem, exclusâ quacunque concupiscentiâ, requisivit, à lege naturæ in statu lapsus perfectione tantum differt, non essentiâ. Rom. II. 15.

II. Ratione tamen eorum, quæ hodie lex naturæ ignorat, sensus bonitatis & æquitatis, post lapsum reliquus, lex naturæ dicitur, ut virgo deflorata virgo. Hülsemannus.

III. Ut notitia DEI post lapsum, absolutè loquendo, vera notitia est, Rom. I. 18. respectu ad notitiam revelatam habito notitiæ potius simulacrum: ita & dictata naturæ atque hinc ortæ virtutes nonnisi in comparatione ad perfectionem virtutum revelatarum & in gratia factarum virtutum simulacra vocari possunt.

IV. Radix & fons juris naturæ ultimò non in voluntate Divinâ, sed in ipsâ ejus sanctitate & justitiâ residet.

V. Lex naturæ pressè proprieque accepta dictatum est rectæ rationis, sine ullo antecedente vel discursu vel consilio & svasione alterius, ipso naturæ impetu præcipientis res faciendas fugiendasque. Rom. II. 14.

VI. Hæc lex planè & à DEO immutabilis est. Psalm. V. 5. seqq.

VII. Profana & impia est Joh. Spenceri opinio, DEUM ineptos rudesque gentilium ritus in leges suas cooptasse, ut eò facilius Israëlitæ & gentiles ad veriore religionem adducerentur.

IIIX. Sacrificia non sunt legis naturæ, introducta tamen

men